

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 215. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415583761712/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

[60 b] Argumentum in
ep. ad Gal. per Erasmus
Roterod.

Ostendit Christianam libertatem non esse peccandi licentiam, sed vltro-neam functionem officiorum pietatis, que charitate dictante, non lege iubente prestantur

Hic vide lector quid sit Christiana libertas. Quidue Christiane libertatis officium.

10 [66 a] Ep. ad Galatas

V.⁵ Nos enim spiritu ex fide spem iustitie expectamus,⁶ nam in Christo Iesu, neque circumcisio quicquam valet, neque preputium, sed fides per dilectionem operans.⁷ Currebatis bene, quis vos impediuit, vt non crederetis veritati?

Igitur non sola fides ad salutem sufficit nec queuis etiam fides, sed ea tantum que charitatem (bonorum operum effectricem) comitem habet.

V.¹³ Vos enim in libertatem vocati fuistis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite vobis inuicem.

Nam libertas vere christiana non est licentia vite, aut peccandi arbitrium, Sed spontanea functio bonorum operum, charitate impellente, non lege cogente.

V.¹⁷ Nam caro concupiscit [66b] aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hec autem inter se mutuo aduersantur, vt non quecunque volueritis, eadem faciatis.

Periculosa res, excludere spiritum dei, peccandi consuetudine Vnde fit vt voluntas rationis, a voluntate sensualitatis frequenter superata, non prestat ea que prestanda iudicat.

V.²² Contra, fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.

His dotibus spiritussancti (que nos eterna vita dignos reddunt) nobis incumbendum est, ne carnis vitijs seruientes, excludamur ab hereditate regni dei. 5

[67 a] VI.⁷ Ne erretis, deus non irridetur.⁸ Quicquid enim seminauerit homo, hoc et metet.

Iste locus aperte meminit premiorum bonorum et malorum, contra illorum impiam sententiam, qui negant apud deum vllum esse meritorum respectum. 10

[68 a]

Ep. ad Ephesios

Argumentum Erasmi

Nec enim est vlla epistola, que tam abditos habeat sensus, vt ob hanc potissimum Petrus scripsisse videatur, sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quedam difficulta intellectu, que indocti et instabiles deprauant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. 25

Hac sententia b. Petrus (tanquam futurorum prescius) palam arguit huius seculi temeritatem, que Pauli epistolas putat intellectu tam faciles, vt nedum ab eruditis clericis verumetiam ab indoctis laicis facile intelligantur. 20

[71 b] IV.¹¹ Et idem dedit, alios quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores ac doctores . . .

Hic locus ostendit iuxta diuersitatem donorum dei, aperte in ecclesia Christi distinctos esse officiorum et dignitatum gradus Contra illorum sententiam, qui ordinem publicum confundunt. 30

IV.¹⁴ vt non amplius [72 a] simus pueri, qui fluctuemus et circumferamur quouis vento doctrine per versutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur vt imponant nobis . . .

Verbosas hereticorum doctrinas et fraudulentas ad seducendum persuasiones, ventos vocat, quod instabiles et nutabunde sint. 35